

\*  
\*  
Aenigmata.

I.

unt imbræ prior horret et anxius  
[haeret;  
nubes, refracta en lumine solis,  
utilat, nunc en ridere priorem.  
xit; moriens est bestia factus:  
ato, divinos sumpsit honores.

II (vulgo *Rebus*).

JCE  
AM  
BI

ata in fasciculo mensis Martii pro-  
spondent: 1] *Fumus*; 2] *Num-en*).

IOSFOR.

OSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE.

## del Lazio ,,

libell. 500.000  
fferenda  
eiusque provinciis conterminis  
amplificandis

i concreditae fenus rependit  
es vel per litteras instituit.  
ssessoris nomine, sive cuique  
rva summa agatur.  
e non fructiferas syngraphas;

emit venditque.  
it, aliorumque nomine obliga-

us, solvit.  
committentibus gerit; locaria

Cestari, 21  
DRUM, PRAENESTE, SUBLACI

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

**Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:**


Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Mont-blanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Vitergo, Viterbo.

**NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.**

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro anno 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; *c*) parsimoniae foventiae sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie deferringi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) prescriptions compensat durarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exteriarum gentium maxima aguntur; *e*) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.



## CONSTANTINI PISONI

Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCLIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris  
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candela ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgiae fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diurnitate et fulgore unicae, ideoque  
*iure proprietatis septae.*

COMMERCII EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



A  
LA

Premium annuae  
march. 10; r  
FORNARI do

De praes

Omnium po  
expetit ut unu  
utatur sermon  
gerendis. <sup>2</sup> Hod  
regionibus sae  
prout cuiilibet p  
tum fuerit.

Sed iamprid  
reperiiri visa es  
aliquam pacis v  
rei navalis, inter  
in illa adhibend

<sup>1</sup> Quod in superiori  
libero prorsus ore »  
rium, ut sermo latinus  
componere valeat », l  
gravi ponderis a cl.  
civit, quas in sequenti  
cum animi satisfactio  
magister benevolentia  
unum saeculum plus  
quibus populorum ora  
rentur, latino admodum  
portunum, imo tempore  
revocare, iterumque i  
hanc, quam, in uniu  
Romae congregato an.  
nostri socius Antoniu

A)  
LIBELL. 75.000.000e in propriis aedibus  
S. Marcello)

## EXTERAS CIVITATES:

pto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, Egypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, briano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in ANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Mont- Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona ca), Velletri, Viareggio, Viterbo.

## IONES ET NEGOTIA.

nomine accipit: a) iuxta quotidianas ata facultate quotidie exigendi usque 0; dierum quatuor, lib. 50.000; pro b) computationibus pariter quotidianis, ensium sex; 4 $\frac{1}{2}$ %, si mensium duos 3.60%, cum facultate quotidie defilib. 300. De maiore vero summa man septem usque ad lib. 5000; ad dies

riptiones compensat duarum personae tres solvendas; idque pro omnibus estium ad formam, iuxta italicam legem provincia requirentibus subvenit; c) in at sub praesidio fundorum publicorum, privatae; d) litteras emitit ex credito um maxima aguntur; e) exteris num res in custodiam accipit, pro iisque litat. Nummariae sunt.

NTINI PISONI  
Candelarum ad Sacra

AN. MDCCCLIII

reis et argenteis aliisque honoris afionibus insignita

uele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

simplices, tum exquisitis ornamentis entes, iuxtaque praescripta liturgica e.

ulgore unicae, ideoque

UIS HABETUR.  
TATUR.

Ann. IV.

Romae, Idibus Iuliis MCMXVII

Fasc. VII.

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$ ; sh. 10; coron. 12) ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐

### De praestantia latinae linguae in re diplomatica<sup>1</sup>

Omnium populorum aequalitas merito expetit ut unusquisque ipsorum proprio utatur sermone in diplomaticis negotiis gerendis.<sup>2</sup> Hoc autem ius nonnullis in regionibus saepius exercitum est prout cuilibet pro tempore aptius inventum fuerit.

Sed iampridem maxima commoditas reperi visa est quampluribus nationibus aliquam pacis vel foederis, commercii vel rei navalis, inter se rationem habentibus, in illa adhibenda lingua, quae ad earum

mores et instituta sese magis accommodaret earumdemque in familiaritate praesertim versaretur.

Iacturae detrimentaque ex diversitate idiomatum manantia, neutro intellectuque facilis sermone monuerunt, qui gentibus, quarum maxime interesset, praesto fuisse.

Eiusmodi, in aevo medio latina lingua tum in actis publicis conficiendis, tum in pactis vel foederibus sanciendis universim usurpata est et, huc illuc obvertens, validorem se ceteris praebuit et usquequa strenue perstat.

Coniunctim Romanorum Pontificum Curia in *Bullis*, in *Brevibus*, in sermonibus, in cunctis exteris Actibus latinam linguam derelinquere haud opportunum

<sup>1</sup> Quod in superiore Maii mensis fasciculo utique libero prorsus ore » ultro in calamus profluxit augurium, ut sermo latinus « nationum odia ac similitates componere valeat », litteras humanissimas, at simul gravi ponderis a cl. viro I. B. Francesia nobis concivit, quas in sequentis Junii mensis num. VI summa cum animi satisfactione edidimus. Quum autem in iis magister benevolentissimus animadverterit, abhinc unum saeculum plus minusve omnia publica pacta, quibus populorum oratores res nationum completerentur, latino admodum sermone exarari, haud inopportum, imo tempori apprime congruens duximus revocare, iterumque in medium proferre orationem hanc, quam, in universali historicorum conventu Romae congregato an. MCMIII, habuit amicus et laboris nostri socius Antonius adv. Martini, quem e vivis

— A. R.

<sup>2</sup> HENRY WHEATON, *Elements of international law*, London, 1836 (1st P., Chap. III, § 5).

censuit, praesertim quod missionibus, quae totum orbem paene innumerabiles complectuntur, quaeque Pontificiae auctoritati proxime parent, nulla congruentior inventari posset, prout res postularet, vel quae libet iussa ex necessitate confessim peragenda essent.

Romae autem potius quam alibi hoc dicendi genus necessario servandum erat. Nam, quum ethnicae humanitati christiana quodammodo superimposita fuerit humanitas, quod praecipue in omnibus Urbis monumentis facile est inspicere, itidem, quum ex verbis omnis conficiatur oratio, atque sine iis nihil evolvi possit ad illum nexum comprobandum qui, mutata utriusque cultus forma, transitum prioris in alteram effecit, latinus sermo, quamquam veteri destitutus nitore, quem in aurei Augustaei saeculi scriptoribus potissimum intuemur, constanter manet, ut ex verbis, quae adhuc sunt in more, certe ostenduntur, puta: *Pontifex, Imperator, Rex, Consul, Tribunus, Legatus*, aliaque huiuscmodi. Unde nobis absque dubio liquet perpetuum omnium gentium usum ut sua lingua scribant, magnam semper habuisse exceptionem, modoque habere: multi enim, quorum nomen hac scribendi laude est insigne, aliena quoque lingua sibi saepe scribendum et loquendum duxerunt; quam rem non privatos homines modo, sed populos constat fecisse, idque multis de caassis, quarum prima est imperium, quod quamplurimos populos non modo ad scribendum, sed etiam ad loquendum hac ipsa latina lingua impulit.

Quod si, ut recte ait Tacitus,<sup>1</sup> immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore non potest, ita commercia, eidem imperio subiecta, lingua indigent, quam omnes Europae nationes perdificant, eadem-

que homines a primis annis imbuantur. Nos enim historia ipsa iamdudum docet non in Europa dumtaxat multas gentes, sed in Africa et in Asia quoque latino sermone vulgo usas fuisse; quae res, quum multis indicis patet, tum Plutarchi gravissimo testimonio evincitur,<sup>2</sup> qui affirmat aetate sua latinum sermonem omnibus provinciis et gentibus communem factum, eoque omnes populos et nationes uti, neque distinguit loquendone, an scribendo. Qui enim de publicis rebus legati ad Senatum a civitatibus mittebantur, orationes latine habebant, simulque civitatum suarum iura et postulata latine scripta edebant. Ad hoc, provinciales homines cum Romanis civibus rationibus, usibus, commerciis erant implicati; ut necessario epistolae ad illos sermone latino scriptas mitterent eademque lingua tabulas accepti et expensi conficerent, locationumque, venditionum, mutuorum, permutationum, contractuum omnium latine essent conficienda.

Idcirco in earumdem epistolarum, seu tabellarum, usu, fontem *diplomatatum* detegere licet, ex qua *diplomatica* quoque *ars ortum* habuit. Etsi enim quae iuris publici sunt ab iis, quae ius privatum spectent, secernantur, attamen diplomaticis vocabulo documentum illud praecipue intelligi solet, quod, iuxta formam, dat esse rei, nempe cuiusvis speciei actibus iuris rationem habentibus.

Nam, si vim verbi spectemus, diploma nihil aliud est quam «diplomum», origine et significatione par, sed latine ex graeco vocabulum detortum, quo significantur litterae principis, aut magistratus, quibus aliquid alicui conceditur; ita dictae a forma, quia formabantur in modum tabellarum duplichum.<sup>1</sup> Praeclara hac de re scripta in lucem edita sunt, quorum praे-

stantissimum illud Mabillonii, quod *De re diplomatica* inscribitur.<sup>1</sup>

\*\*

Hisce positis, colligere oportet diplomaticae rei scientiam vel artem, quum ad relata inter orbis dominia pertineat quae imperii vel regni, reipublicae vel foederis nomine hactenus appellari consueverunt, illam ipsam habendam esse magni momenti prae ceteris, quippe quae inter populos omnes excelsius continuo fastigium attigerit, progressumque humanitatis sci- verit; inter enim monumenta quae historia servat, nulla praestantiora apparent auctoritate et vi quam quae a Summo Principatu directo oriuntur, ac praesertim transactiones, concordatus, pactus, tractatus conventionesque omnes diplomaticae, quibus archiva populorum titulique nationum gignuntur, itemque iura omissa vel requisita declarantur. Hoc autem sine intermissione factum est, fierique solet per diplomata illa, qua sermone italicico *Lettore credenziali*, hispanico *Cartas credenciales*, gallico *Lettres de créance*, anglico *Letters credenciales*, germanico *Begläubigungsschreiben*, russico denique *Vieriteljnija gramothi* vocantur.

Neminem profecto latet Westphaliensis pacis tractatum, bello Triginta Annorum confecto, Munigardevordiae primum, Osnabrugiae postea, anno MDCLXVIII, ratum habitum, ab omnibus scientiae civilis peritis veluti Codicem Nationum hucusque perspensum fuisse. Etsi enim nonnullas post pactum Traiectinum an. MDCCXIII mutationes sustulerit, ille, prior omnibus, iuris publici principia, quae deinde in institutum ferme conversa sunt, asseruit; inter quae potissimum eminent legationum permanentium consuetudo et gallici sermonis in negotiis diplomaticis usus; quantumvis,

saeculo xv exeunte, iam Hispania ad illud pervenisset, ut Castellanus sermo in iisdem adhiberetur. Sed hic parumper sufficit; neque affirmari potest gallicam linguam uti «Officiale», vi iuris publici inter populos etiamnunc prorsus susceptam; revera capitula pacis in Congressu Rastattensi, anno MDCCXIV comprobata, quibus Carolus VI Imperator, et Ludovicus XIV rex mutuas sibi concessiones praestiterunt, etiamsi gallico sermone exarata fuerint, attamen eadem in linguam latinam vertere, iuxta germanicae traditionis morem, oportuit, huncque laborem nationum singularum legati simul obiverunt.<sup>1</sup>

Turcarum autem Imperium, licet in extimis relatis arabum vel scythicum sermonem iugiter usurpaverit, nihilo minus iisdem latinam translationem adicere perpetuum statuit. Itemque Imperator Austriae et Rex Hungaricus peculiarem quoddam testimonium de usu et praestantia latinae linguae perhibuit in transactiobibus diplomaticis, praesertim circa res cisleitanas, ope administri Andrassy et adlegati Dupont, perpensis et adprobatis articulis, qui deinceps, in conventu Berolini habito, sancti fuerunt, quorum adhuc instrumentum latine exaratum, propria manu signatum, imperiali auctoritate ratum habitum in Curia Vindobonensi, apposita in litteris die, autographice exscriptum permanet.

\*\*

Ex iis itaque quae diximus, quidnam argendum vel colligendum, nisi quod, nulla inter potestates invicem paciscentes norma scribendi usquequa exstante, votum tandem ab iisdem sacretur, ut unus ille sermo deligatur ac sumatur pro civilibus gentium iuribus tuendis atque definiendis, qui ad quorumlibet ingenia et

<sup>1</sup> TACITUS, *Histor.*, lib. I, cap. 5.

<sup>2</sup> PLUTARCHUS, *Opuscula*, XXIII, *De Romanorum fortuna*.

1 Cfr. *Totius latinitatis lexicon*, opera et studio AEG. FORCELLINI, etc., cura et studio Doct. V. DeVit., Prati, 1861, vol. II, pag. 272.

<sup>1</sup> D. J. MABILLON, *De re diplomatica*, libri IV, Paris, 1681; 2<sup>a</sup> edit., 1704.

1 Cfr. PIERANTONI, *Storia degli studi del Diritto internazionale in Italia*. Firenze, 1902, pag. 782.

mores aptetur? Imperiorum enim et regionum simultates diu vetuerunt atque vetant adhuc quominus illud votum etiam nunc impleatur. Hac, procul dubio, ratione, latina lingua, non extincta prorsus, omnium praestantissima videbatur in propositum redire, quippe quae in neutrā partem movens, communis omnium gentium iuris usui opportunior inveniretur, ut iam disciplinarum omnium et doctrinae principiis evolvendis continentēr satisfacere visa est.<sup>1</sup>

Ceterum, quum aetate nostra saepissime evenerit cuilibet iuris gentium tractatui, gallica lingua confecto, clausulam adiectam fuisse, qua undique animadverteretur, ut in posterum quaelibet potestas vel quodvis imperium sibi ius propria utendi lingua reservaret, nullam aliam linguam officiose suscipiens semperque translationem latinam vel gallicam addens, quotiescumque mutua necessitas id postularet, hoc manet suffragium, si qua in posterum lingua neutra vel «tertia», ut ita dicam, accipienda foret, ea demum adhibeat in transactionibus sive negotiis diplomaticis, quae omnibus, quadam ferme insita virtute, praestet, latina scilicet lingua.

Quamvis enim qui latine scribunt ita exagitentur, ut nullorum scribentium durior unquam fuerit conditio propter quoddam exortum hominum genus, quorum studium est latinam linguam insectari ac nonnulla quoque asperitate verborum interdum perstringere, illud tantum pro clausula parvae huius orationis ponere non dubitabo, latinum sermonem sublimem esse, magnificum, locupletem, verbis splendidis fulgentem, omni asperitate vacuum, mira iucunditate temperataque suavitate nitentem; ideoque eius usum in negotiis

diplomaticis iis, quibus nationes, imperia, populi cognatione quadam inter se continentur, praestantissimum omnibusque fortasse existimandum esse, in quo romana maiestas adhuc spiret, quique splendore et pulchritudine sua decorem atque dignitatem rebus addat.

ANTONIUS ADV. MARTINI.

## EX BATAVIA

### De certamine poetico Hoeufftiano

Accepimus, et libenter edimus:

A. d. XVI. Kalendas Maias in conventu Ordinis Litterarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandicae a iudicibus ita est relatum de XXIX carminibus, quae ad tempus in certamen an. MCMXVI iis erant tradita.

Unum carmen (*Tricolor Italicus*, munitum sententia *Festina lente*) omnino ad certamen admitti non potuit, quoniam cum duobus aliis ei adjunctis legitimū quinquaginta versuum numerum non explebat.

Statim reiecta sunt haec:

*Formosa mulier* (cui adiunctum fuit *Nova aetas*, munitum sententia *Gutta cavat lapidem*); *Ad Olympum montem* (munitum sententia *Spes sibi quisque*); *Salve, Italia* (munitum sententia *Humiles myricae*), opuscula puerilia; sensu tantum non parentia, sed scatentia vitiis metricis.

Paulo magis placuerunt, non tamen ita ut digna visa sint quae legati sumptibus in lucem ederentur, XIV haecce (enumerantur autem sic, ut quod posterius ponitur semper praefereatur praecedenti):

*Primi Jesu Amores* (nulla munitum sententia); *Romanorum levia gravia* (munitum sententia *Si vis pacem para bellum*); *Senex mendicus* (mun. sent. *Minnuntur atrae carmine curae*); *Militis mater* (mun. sent. *Discordia taetra e. q. s.*); *Beluae pro hominibus sollicitae* (munitum

sent. *Nihil est ab omni parte beatum*); *Insula* (mun. sent. *Valet ima summis mutare deus*); *Vilicus* (mun. sent. *Tu vitae ne cede malis*); *Nox atra* (nulla munitum sententia); *Fidus* (mun. sent. *Faciant meliora potentes*); *Reditus a Sardinia* (munitum sent. *Pacis augurium*); *Matris somnium* (mun. sent. *Mater cor cordium*); *In obitu Austriae imperatoris* (munitum sententia *Quis talia fando e. q. s.*); *Bellum undique saeviens* (nulla munitum sententia); denique *Assentatores* (mun. sent. *Palmaque nobilis*); quod carmen tanto iis quae hactenus sunt enumerata praestare videbatur, ut de eo in lucem edendo aliqua fuerit deliberatio.

Restant undecim optima, quae libenter publici iuris facimus, lectu iucundissima, vera verorum poëtarum atque artificum opera. In quibus enumerandis eandem quam in quatuordecim illis sequimur rationem. *Ultimi Vergili dies* (mun. sententia *Maiora canamus*); *Fanum Iovis* (mun. sent. *Parvum parva decent*); *Reliquiae* (mun. sent. *Fatales pueri duo funera*); *Harlemi campus* (mun. sent. *Fidibus gaudens*); *Caecilia* (mun. sent. *In tenui labor*); *De arundine sacharigena*; *Nox natalicia* (munitum sent. *Mens praesaga malii*); *Vivax patriae memoria* (munitum sent. *Est patriae tellure mithi nil carius*); *Ignorati luctus* (mun. sent. *In tenui labor*); *Dies anno redeunte festus* (mun. sententia *Trahit sua quemque voluptas*). Huius carminis et alterum erat missum exemplum paucis locis mutatum, ornatumque titulo *Kalendis Martiis et sententia Linque Severa*); denique *Sepulcrum Ioannis Pascoli* (mun. sent. *Et tumulo superaddite carmen*).

Quatuor ex his, quae ultima sunt nominata (*Vivax patriae memoria*; *Ignorati luctus*; *Dies anno redeunte festus*; *sepulcrum Ioanni Pascoli*), per se spectata omnia aureo praemio digna videbantur; tamen optimorum optimum eoque honore afficiendum visum est *Sepulcrum Ioannis Pascoli*, quod, aperta scidula, compositum esse apparuit a *Francisco Sofia Alessio Radicenensi*. Hoc ergo primum omnium

sumptibus legati in lucem edetur, addenturque haec: *Dies anno redeunte festus*, *Ignorati luctus*, *Vivax patriae memoria*, *Nox natalicia*, *De arundine sacharigena*, *Caecilia*, *Harlemi campus*, *Reliquiae*, *Fanum Iovis*, *Ultimi Vergili dies*, si eorum poëtae nobis ante Kalendas Iunias scidularum aperiendarum dederint veniam.

Ad novum certamen cives et peregrini invitabantur his legibus, ut carmina latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kalendas Ianuarias anni proximi mittant ad *Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae, in transcribendo, portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibebunt, et si, quemadmodum in editionibus poëtarum latinorum fieri solet, inde a vs. 5 sextum quemque versum numero ornabunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur a poëtis. Hoc ante Kalendas Iunias fieri debebit (et tum quoque tabellarii nostrates sic sunt edocendi *Aan het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam*),

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur; quo facto, scidulae carminibus non probatis additae vulcano tradentur.

Amstelodami, Kal. Maiis MCMXVII.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE,  
Ordinis Praeses.

Non paranda nobis solum, sed fruenda etiam sapientia est.

CICERO, *De fin.*, 1.

<sup>1</sup> Vide: *Courrier diplomatique* du 31 Janvier 1872 et opus: *Cours de Droit diplomatique* par P. PRADIER-IODERÉ. Paris, 1881; vol. II, pag. 419 et seqq.

## SEPULCRUM IOANNIS PASCOLI

Carmen FRANCISCI SOFIA ALESSIO in certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXVI aureo praemio ornatum.

Iam vixit Vates per amica silentia pagi  
Hic, ubi demulcet cantu Corsonna colonus.  
Hic coluit tenuesque lares et amoena vireta,  
Umbriferumque nemus cecinit volucresque canoras.  
Et placuit quandoque solum vertisse ligone,  
Atque per areolas querulum deducere rivum:  
Quam bene captabat voces ac murmura rerum:  
Hic veteres luctus campo lenibat aprico;  
At nunc examinis placida requiescit in urna  
Hic, ubi lenta salix (quam severat ipse) virescit.  
Pallentes cingunt hederae lugubre Sepulcrum.  
Sic inscripta monent: *Hederam sine crescere nigram;*  
*Fert etenim tremulos et oientes illa corymbos;*  
*Fida refert tenues flores octobribus horis,*  
*Dum glomerantur apes et sugunt ultima mella.*  
Heu! iam non illum tacita regione vagantem  
Aspicit intentus densa de sepe bubulus:  
Non illum videt alma Soror, quae prospicit amens  
Num redeat frater: maerens dolet usque gemitique.  
Vatem nunc ipsae pinus humilesque myricae  
Deflent, ac gemitus demissis frondibus edunt.  
Dulce queruntur aves: hospes singultit hirundo;  
At circumvolitat per opaca sepulcrum nigella.

### HIRUNDO

Iam mulcent zephyri leniter aera;  
Iam flos in teneris hiscit amoribus:  
Exilique volvres  
Fundunt gutture carmina.  
Nigram vere novo cultor hirundinem  
Laeta voce canens excipit hospitam,  
Quae sub margine tecti  
Nidos instruit aureos.  
At dulcem rediens una domunculam  
Visit, nec dominum cernit amabilem:  
Cedens rure poëtae,  
Autumno, valedixerat.  
Nunc in funereo devolat hortulos,  
Vates mortis ubi somnia somniat:  
Tristis cantat amores  
Ac luctus querulo modo.

Ales visa queri: congemit hospita,  
Hospes dum sub humo dormit amicus.  
Pendet nidulus eheu!  
Maesto solus in angulo!  
Vates mane novo surgere sueverat,  
Ac parvae volucri spargere pabula:  
Astans ante fenestram  
Spectabat faciles iocos.  
Dixit maesta vale, prompta recedere,  
Ac tinctam retulit murice taeniam,  
Qua iam cinxerat almus  
Hospes vespero crusculum.  
Venis nuper amans litus ad Italum;  
At non in domibus repperit hospitem:  
Cantrix lassula maeret  
Iuxta funereum Crucem.  
At rigidi lapides lugubri voce loquuntur:  
Spirat amor Vatis, spirat de marmore Virtus,  
Sibila quam miscent, zephyro spirante, cupressi,  
Flebilibusque comis salices agitantur amarae.  
At simul ossa fremunt, Vatis vigil advolat Umbra,  
At vox clam nostras mellita susurrat ad aures.  
Mirum! Vox canit interior vel corde sub ipso,  
Sicque monet lenis caelesti flamme pulsat:  
Hic tandem iaceo gremio telluris in almo;  
Hic viridi clivo molliter ossa cubant.  
Usque fluens notas iterat Corsonna querelas,  
Et resonant frondes et mihi cantat avis.  
Hic requie fruor, velut infans, matris in ulnis  
Qui dormit retinens carminis aure modos.  
Matre pia, genitore pio puer orbus et aeger  
Iam vixi; patiens aspera quaeque tuli.  
Et vidi luctus et funera multa meorum,  
Haerebatque meo cara soror lateri.  
Iam pridem cecini romana domestica facta,  
Exiguas specie, rura, greges avium.  
Intemerata quidem dictabat carmina Musa,  
Affuit atque mihi sancta Pudicitia.  
Ecce mihi tribuit Libitina fidelis honorem,  
Nam post fata manent praemia iusta viros.  
Vita via est et homo misero peregrinus in orbe,  
At multum refert quo via quaeque ferat;

Fastidire nefas quod possit ad astra referre;  
Nil iuvat usque sequi quod retinere queat.  
Nos regit alma Fides, ut acus magnetica naves:  
Sic infinito possumus ire mari.  
Non errat metuens qui fratres quaerere tendit;  
O gentes iungat foedus amicitiae.  
Nunc curis vacuus redolentia prata reviso,  
Et vigor in patria mobilis umbra plaga.  
Villam miror, ubi tam dulcia tempora degi,  
Et circumvolito rustica tecta domus.  
At pagum recolo, qui nunc mea contegit ossa,  
Et laetor casulis agricolisque pii.  
Surgentemque libens Auroram mane saluto,  
Et capio quidquid sedula garrit avis.  
Passere tecta sonant, resonant acalanthida vepres,  
Atque tholus templi stridit hirundinibus.  
Eque cava turtur gemit arbore, tinnit alauda,  
Ac tenues edit regulus ore modos.  
Dulces vere novo volucrum contemplor amores,  
Dum sol dat foliis oscula versicolor.  
Audio iugis aquae gemitus zephyrique susurros;  
Aspicio latitans intima quaeque laris.  
E tumida video pupum pendere papilla,  
Dum carum genitrix mulcet amata caput.  
Alitibus, vergente die, scatet hortus et umbra,  
Ac maestis arbor questibus atra sonat.  
Aera gemunt blandusque canor diffunditur auris,  
Responsantque simul culmina summa sono.  
Tum vero capiunt solatia maesta coloni,  
Dum poscunt tacita Numina sancta prece.  
Ecce sub obscurum noctis soror alma sepulcrum  
Amplexatur amans, ac foveat ore pio.  
Tunc audire meas voces vultusque fovere,  
Ac mulcere genas illa videtur hians.  
Afflatuque meo foveo recreoque Sororem,  
Et levis ad tenuem prosechor usque larem.  
Incumbunt nebulae campis tenebraeque soporae,  
Sideribusque pii caerulea templa micant.  
Iamque casae fumant congestaque cespite tecta,  
Et nitet exigu pauperis igne focus.  
Bestiolas video tremulo fulgore micantes,  
At simul ad ventum sibilat omne nemus.  
Luscinae blando resonant viridaria cantu:  
Illa quidem volucris rore cadente gemit.  
Tum varios capio modulos dulcemque canorem,  
Et scio carminibus quid philomela sonet.  
Iam nox alta silet, tacite pia luna refulget,  
Ac retegit radiis maesta sepulcrum suis.  
Et circum fundit lugubres noctua cantus:  
Pullus sollicito pipilat ore timens.

Tum vigilans miror tacita mysteria noctis,  
Et capto passim murmura blanda poli.  
At circumvolitant per opaca silentia manes,  
Et cupiunt cari visere busta mei.  
O quoties vidi dulces consistere fratres,  
Quos Libitina ferox abstulit ante diem.  
Conveniunt Pater et Genitrix teneraeque sorores,  
Et subridentes ante sepulcrum sedent.  
Frontem tum video fulgentem luce paternam,  
Olim quae duro vulnere laesa fuit.  
Me tenet amplexu genitor, dat et oscula blanda,  
Dat Germana mihi basia pallidula.  
Eque suo surgit tumulo sanctissima Mater;  
Huc properat flagrans semper amore pio.  
Et mihi languidulo blanditur amabilis, atque  
Me bene suavioli flamine cara foveat.  
Ardentesque simul tum contemplamur amore  
Amplexu in placido regna serena poli.  
Iam mihi pollet amor; video discedere caelum,  
Luminibusque patent lucida tempa meis.  
Quandoquidem purum sensum Libitina reliquit  
Aethereum, liber vortor ad Elysium.»

### ELYSIUM

Spiritus ecce volat tandem sublimis ad astra,  
Atque per Elysius suffusus luce vagatur:  
Hic placida fruitur requie, convalle virenti  
Inter odoratas lauros humilesque myricas.  
Illustris animae florentia prata pererrant:  
Vergilius pius et numerosus Horatius adsunt,  
Atque novum vatem simul admirantur amantique:  
Elate cuncti sublimia mente voluntat.  
Hic pictae vernant volvres, hic carmina dicunt,  
Ac ludunt sancti pueri castaeque puellae.  
Admiranda quidem regio spectacula pandit;  
Hic variae species clara sub luce resident;  
Hic, luna radiante, manus attollit et orat  
Rustica, quae pia farre lares placare solebat:  
Aeterno liquidas lymphas de fonte resumit.  
Quique Palatinis pueri simul aedibus olim  
Ludebant teneri reges, hic membra palaestris  
Exercent, spatiisque vagi colludere pergunt.  
Rufius hic rutilis astat puer ipse capillis,  
At procul insidiis vitream piscatur ad undam  
Aeterni maris, atque agili secat aquora cymba.  
Hic cathedra suffulta nitet Pomponia, nostris

Quae fuit in terris olim maestissima mater;  
Grecino pueru dulcis blanditur et Aulo,  
Et quandoque libens fabellas garrit aniles.  
Hic iacet in viridi vacuus Veianius agro;  
Nec vetulum tentant recubantem somnia taetra,  
Qui redolente thymo pepulit iam nare cruem.  
Adstat Centurio, puerum comitante caterva:  
Non aquilas, non arma crepat, non bella cruenta,  
Alloquitur, puerisque Crucis mysteria pandit,  
Et narrat Christum pacem de colle monentem.  
Immemor hic vitae vivit Thallusa prioris:  
Non homines odit caro viduata marito,  
Iam non bile tumens tenero furit orba puello,  
Non pupum, ludens, alienum deperit illa;  
Invenit proprium, quem cunis collocat aureis.  
Hic et laetitia vera Thallusa renidet,  
Et puerum mulcet sopitum carmine blando,  
Ac leviter dextra cunabula pellere gaudet:  
Pupulus adridet quandoque micante labello.  
Hic et mirifice caelesti luce resident  
Omnia Vergili cecinit quae castus Alumnus.

At caput est sacrum, venerabilis ara sepulcrum:  
Hic Charites cultu circumdant busta decorae,  
Errantesque colunt hederas roremque thymumque:  
Et suaves clymeni flores Venerisque capillum,  
Et molles violas et luteolos hyacinthos.  
Hic ipsae purum ducunt per gramina rivum:  
Invigilant avibus, quae mulcent aethera cantu.  
Hic et deveniunt pueri teneraeque puellae,  
Et venerabundi redeuntes rure bubulci,  
Succiduoque genu tumulum venerantur et orant.  
Vesper adest: pastor sparsas vocat ore capellas;  
In terris umbrae croceoque crepuscula caelo.  
Iam sacra turris Ave tremulo canit aere, *Maria*.  
Interea tacitis resonat modulamen in arvis,  
Ac, moriente die, discunt' maerere coloni:  
Dant miseri gemitus, queis flebilis assonat Echo:  
Ecce dolens graditur virgo per opaca locorum,  
Maestaque tangit humum genibus Germana Ioannis,  
Et complexa tenet fratris lacrimabile bustum:  
Ipsum tum vero fratrem spectare videtur,  
Ora fovere simul dulcesque audire loquelas.  
Pax tecum, gemit illa: levis circumvolat Umbra,  
Ac lenis, veluti zephyrus, sic mutit in aurem:  
*Pax, gentes, pax in terris, absistite bello.*  
Discedit mulier prima vepallida nocte;  
At, velut astra, micant oculi pietate nitentes.  
Cuncta silent, gelido iam nox tegit aera velo,  
Et coepit quandoque queri de culmine bubo.

## FRANCISCUS SOFIA ALESSIO


Superiori iam mense lectoribus nostris renuntiavimus, praemium aureum Hoeufftiani certaminis adiudicatum fuisse hoc anno socio nostro Francisco Sofia Alessio, cui quidem, statim ac res innotuit, gratulati sumus. Nunc eius carmen « Sepulcrum Ioannis Pascoli » tali honore insignitum edentes, de poetae vita operibusque nonnulla addere aequum, nec singulari eius modestiae infestum esse duximus.

Franciscus noster ortum habuit in oppido Radicina apud Calabros a. MDCCCLXXIII, honestis at egenis parentibus. Vix quadrimus, orbatus est patre, cuius mors familiae augebat penuriam. Ita inter res angustissimas pueritiam transegit atque adolescentiam. Mater tamen, quum in filio praecox ingenium avidumque sciendi perspiceret, nihil omisit, pro tenui re familiari, quominus illud excoletur. Egressus igitur iuvenis ab elementari schola, privatas habuit lectiones apud eruditum loci sacerdotem Dominicum Barillari, qui ei campum pulcherrimum litterarum reclusit. Ex eo tempore discipulus peculiarem sensit propensionem in poetas, quorum longa excerpta, sive italice scripta, sive e latino aliove sermone conversa, felicissimae memoriae mandavit.

Sexdecim annos natus, potissima illa Iosephi Giusti epistola perfecta, vehementer cupit latine discere. Dono igitur accepit (nam deerat facultas emendi) libros aliquot hoc spectantes, nempe grammaticam, lexicon, orationes aliquot Ciceronis, *Fabulas* Phaedri, *Eclogas* Vergilii, *Tristia* Ovidii aliaque volumina: omnia tamen multo iam usu trita et subinde manca, vicissim tamen non parce atramento conspersa. In has autem paginas ardens discipulus tanto fervore incubuit, ut, anno vix elapsio, non solum sensum auctorum rite intelligeret, verum etiam loca insigniora eleganter

verteret italice, idque prosa et versa oratione. Paulo post, studium quoque linguae graecae aggressus est sine magistro. Interea, ut sibi suisque victimum quaereret, in Schola normali Messanensi ad munus se praeparavit docendi pueros; et superatis egregie periculis, a. MDCCXCIII licentiam docendi inferiorem obtinuit, ac, biennio post, superiorem. Ex eo tempore varias

men, *Augustae Taurinorum Feriae*, inter « satis laudabilia » recensuerunt. Progressu vero temporis, septies « magna laude » ornata fuerunt carmina quorum, tituli: *Duo Magi*, *Vis electrica*, *Petronius*, *Plotinus*, *Duo Insontes*, *Vitus*, quem initio commentarii nostri nos edidimus, et *Reliquiae*; quibus omnibus nunc praeest *Sepulcrum Ioannis Pascoli* grandi numismate aureo



linguas et disciplinas variis docuit in locis, praelectionibus cum publicis tum privatis. Nunquam vero intermisit iucundissimum, ad quod intime alliciebatur, latinae poesis studium, nocturna versatis manu, versatis diurna veterum ac recentium quoque auctorum voluminibus. Quum autem audisset de annuo poetico certamine quod Amstelodami instituitur, cupidus illum subiit hanc quoque ingredi arenam.

Primum tentamen haud male successit. Carmen eius *Polus* anno MCMII iudicium aliquam existimationem promeruit. Triennio post, idem iudices aliud auctoris car-

decoratum. Huius argumentum supervacaneum est describere, quum lector illud cognoverit ex ipso carmine hic praemisso, ubi perspexit quam nitide, quam eleganter omnia et singula tractata sint, quamque merito plausum ac praemium censorum consecutus sit auctor.

Felix autem successus, qui Francisco nostro iure obtigit, novum addat calcar *Almae Romae* lectoribus, ut in studio linguae latinae naviter sese exerceant. Nulla enim vel nobilior meta est, quae diligenti ac perseveranti labore attingi non possit.

F. X. REUSS.

**A Romanorum cursibus  
ad recentiorum Tabellariorum stationes.<sup>1</sup>**

De Tabellariis apud Romanos breviter dicere pergens, paucula quidem addam.

In primis meminisse iuvabit, immensum illum rerum hominumque concursum, quem nos uno verbo *Le poste* appellare consuevimus, a Romanis *Cursum* generatim appellari, locumque ubi veredi publice pro commoditate mutarentur, communi nomine *Statiōnem* dici solere.

Scito tamen *Cursum* apud Romanos maximi aestimari remque fuisse magni ponderis atque momenti. Sic enim facile diversae ac dissitae imperii gentes cum Roma, domina rerum, coniungebantur. Supremum eius regimen praetorii praeses obtinebat, qui rem alterna vice praepositis viris concredere consuescebat muneribus publice transferendis.

Cursus vero alius celer erat, alias remissior.<sup>2</sup> Viatores autem, qui ut mos est, sollicitudine pressi, celerius iter perficere cupiunt, trahebantur cum epistolarum fasciculis super rhedis ab equis, qui *veredorum* nomen usurparunt.

Si res graviores longius essent mittendae, ut commeatus scilicet et cibaria, aliaque id genus, plerumque *cursus* adhibebatur, qui *birotus* dictus (a quo fortasse Italorum *biroccio*) a bobus saepissime trahebatur.

Ab Urbe omnis horum operum congeries in provincias late effundebatur: et praeter iter *stationes obviae* occurabant, nuncupatae passim etiam *man-*

*siones* et deinde *positions*; ubi vel quadraginta equi aliquando asservabantur in publicum commodum, et cursorum domicilia cum promptuariis.

Ad haec est adnotandum, in hisce *mutationibus* viginti et amplius equos stabulari, qui pro opportunitate quini plerumque proficiscebantur. *Mansiones* autem inter se se spatio unius diei distabant, et saepe, si opus fuerit, duplicabantur, ut equi commodius commutari possent.

Haec autem constitutio, admirabilis in primis, omnis erat reipublicae potestatis; apud quam paullatim multae et parvulae transvectionis domus aedificari coeptae sunt, in privatorum usum, quae passim *angariae* dicebantur.

Hae vero, labentibus annis, quum in desuetudinem publice abiissent, pro hominum habitudine remanserunt, et sensim sine sensu sese unice verterrunt in antiqua rhedarum servitia, quae privati quidam redemptores sibi obtinuerunt inter diversas Italiae civitates, per pecuniam licentia sibi comparata cum a locorum dynastis, tum a municipiis, vel tandem a quibusdam religiosorum familiis aut doctorum societibus.

Arrepta occasione, hic meos lectores monitos volo, omnino errare qui Ecclesiam aliquando incusent veluti huiusmodi commoditati antiquitus adversantem. Hoc autem in Ecclesiam iudicium profectum esse opinor a conditione quam semper ipsa adhibebat, ne diebus festis homines operibus profanis detenti, a rebus sacris prohiberentur. Quid enim sanctius, quidque mortalibus aptius? Hac enim aetate, qua omnes omnibus inserviunt quaestibus, Angli, qui omnium sententia, primas in commerciis ineundis augendisque semper retulerunt, hisce diebus non modo a

negotiis, sed et ab ipsis epistolis recipiendis abstinent. Ad hoc Pontifices Maximi omnino spectabant et primum propter divinum cultum, deinde propter ipsam hominum incolumitatem. Quod quidem comprobari videtur ab ipsa pactione cum Venetis inita, qua Pontifices Maximi transire concedebant per eorum regiones quidquid ab Helvetia atque a Germania mitti placuerit per Bergomi cursores, ea modo conditione, ut Legatorum Pontificis epistolae gratis transferrent.

Ex quo quidem beneficio, utrisque populis commodissimo, initium habuit insignis illius Tabellariorum cursumque curatio, quae per industriam potissimum Tassorum Bergomensium per universam prope Europam diffusa est.

Etiamsi hisce nostris temporibus multa sint multisque causis pericula peregrinantibus, attamen nimis praesentibus bonis adlecti, longissimae illius aetatis incomoda superbe aspernati respicimus, quum et nobis plurima sint obvia in itinere mala imminentia. Quae quum ita sint, quid dicam? Veteres ingenio adlaborantes nobis complura commoda attulerunt, quae recentiores novis semper inventis futuris populis maiora tradere posse confidimus: «Sua nec bona quisque recuset».

De stipe quae pro singulis litteris solvi consueverat, nihil certi apud probatae notae scriptores adhuc invenimus; atque adeo lis est sub iudice relinquenda.

SENIOR.

*Habens intellectum, curet omnino ne taceat; habens raram affluentiam, a misericordia ne torpescat; habens artem, qua regitur, usum ipsius cum proximo partiatur; habens loquendi locum apud divitem, pro pauperibus intercedat.*

S. GREGORIUS, Homil.

**Utrum primis Ecclesiae saeculis  
fas fuerit christiano viro  
militiae nomen dare.**

II.

Attamen opponunt: Non de belli et militiae liceitate *in genere*, nos loquimur, sed *in specie*, seu, respectu Christianorum in primis saeculis, thesim de illiceitate defendimus; quia illis tunc vetitum erat militare. Bella enim suscipi Christiana Religio haud patitur. Militare autem?... Nam occidere hostem militi licet, et hoc facere nequit christianus; ideoque bellum gerere nequit princeps christianus, qui carere militare necesse est. Christi enim doctrina *mansuetudinem* docet, *obliviscendam* iniuriam, non suscipiendam vindictam, reddendum bonum pro malo, etc.; bellare ergo nequit fidelis christianus.

Haec et alia adversarii opponunt; sed non hac nostra tempestate tantum. Iam a primordiis Religionis Christianae ethnici romani, ac per subsequentia saecula, haeretici, usque ad pseudo-reformatos lutheranos, seu protestantismi sectatores, haec renovarunt sophismata.<sup>1</sup> Ethnici autem, quum ista audirent, cogitabant assequi non posse, quemadmodum his legibus constitutis Principi sua suorumque bona defendere liceret; ideoque Christianam Religionem reprobaverunt, quasi inimica reipublicae morum esset.<sup>2</sup> Quod quum ita sit, cur inimici nostri, Religionis Christianae caussa, hominum societatem consistere posse diffisi sunt? Quod si hi cognoscent, qua voluntate latae eae leges ab Iesu fuisse, persuasum sibi esset, nihil deprehendi in iis potuisse, quod ipsi cum ratione gerendae reipublicae pugnare arbitrarentur.

<sup>1</sup> Cfr. *Origines et antiquitates Christianae*, auctore F. THOM. M. MAMACHI, O. P., in 5 tom., ed. 2<sup>a</sup>, Romae, 1845.

<sup>2</sup> S. August., *Epist. CXXXVI.*

<sup>1</sup> Cfr fasc. mens. Martii MCMXVII, pag. 48 et sqq.

<sup>2</sup> More nostro dices: *a grande o a piccola velocità*.

Leges enim illae sic intelligi debent, ut iniuriae ferendae aequo animo sint, quo vinci in bono malus, et resipiscere tandem possit. Atque id quidem etsi non opere quandoque, animo tamen semper fieri debere.

Veterum permulta,<sup>1</sup> quae eodem fere atque illa spectent, quae sunt a Christo sancta de non reddendo ei malo, qui malum cuiquam intulerit, decreta existunt. Itaque Principi parentis datas esse videamus partes. Patrem, qui filium puniat, amore, non odio punire. Et esse, veterum illorum opinione, omnes oportere, fuisseque etiam nonnullos Principes ita comparatos, ut salva reipublicae incolumitate, iniuriarum tamen obliscerentur. Et merito hos laude prosequabantur. Quid non ita iudicatur de Christi doctrina? Si illi veteres, etiam mites et misericordes, quamvis infideles, quem salus reipublicae inferre bellum exigebat, bellum indicebant, sic et in Christiana Religione. Nam si quis gravior laedat, hunc et accusari a civibus, et plecti iure a magistratu posse dicimus, et bellum gerere, si necessitas urgeat, ita tamen ut pacis, felicitatisque reipublicae, et eius qui plectitur utilitatis, non malevolentiae, neque solius vindictae ratio habeatur.

Placet ad rem afferre S. Doctoris Augustini<sup>2</sup> ethnicorum exprobationem: «...Quomodo Caesari administratori reipublicae, mores eius extollens Cicero dicebat, quod nihil obliisci soleret, nisi iniurias? Dicebat enim hoc tam magnus *laudator* aut tam magnus *adulator*? Sed si laudator, talem esse debere ostendebat principem civitatis, qualem illum fallaciter praedicabat. Quid est autem non reddere malum pro malo, nisi abhorrere ab ulciscendi libidine? Quod est accepta iniuria igno-

scere malle, quam persecui, et nihil nisi iniurias obliisci. Haec quum in eorum leguntur auctoribus, exclamatur, et plauditur, quibus dignum esset exsurgere civitatem, quae tot Gentibus imperat; quod accepta iniuria ignoscere, quam persecui malebant. Quum vero legitur praecipiente auctoritate divina, non reddendum malum pro malo... occupatur Religio tamquam inimica reipublicae». Similiter et SS. Patres, ante S. Augustinum, quod inimicorum perfidiam longius progredi viderent, prospiciendum esse putarunt, ne quid ex illa detrimenti caperent. Itaque mirum sibi videri dixerunt, ab ethnicis in christiana religione minime illa probari, quae saepe, quoniam a philosophis dicta fuerant, laudari, celebrarie consuissent.<sup>1</sup>

Doctor Angelicus (II, 2<sup>ae</sup>, Q. XL, art. I) thesim hanc statuit: «Utrum bellum semper sit peccatum»;<sup>2</sup> atque dein propositis quatuor difficultatibus, seu objectionibus, et solutione earum data, pro more suo, concludit pro negativa, idest quod bellare non semper sit peccatum. Hae autem objectiones sunt quae sequuntur:

Ob. I. - Matth. XXVI, v. LII: *Omnis qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ergo omne bellum est illicitum.

Ob. II. - Matth. V, v. XXXIX: *Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, praeve illi alteram.* Et Ep. S. Pauli ad Rom., XII, v. XIX: *Non vosmet ipsi defendantes, charissimi, sed date locum irae...* Ergo bellare semper est peccatum.

Ob. III. - *Praeterea nihil contrariatur, actui virtutis, nisi peccatum.* Sed bellum

*contrariatur paci.* Ergo bellum semper est peccatum.

Ob. IV. - *Praeterea, omne exercitum ad rem licitam licitum est; sicut patet in exercitio scientiarum.* Sed exercitia bellorum quae sunt in torneamentis prohibentur ab Ecclesia,<sup>1</sup> quia morientes in huiusmodi tyrocinis ecclesiastica sepultura privantur. Ergo bellum videtur esse simpliciter peccatum.

(Ad proximum numerum).

JOSEPHUS FAMELI

Quod clarus vir JOSEPHUS FAMELI, Supremi Signaturae Apostolicae Referendarius, in collegium eiusdem tribunalis *Volantium* his diebus cooptatus fuerit, Alma Rom. i gratulatur ex animo.

<sup>1</sup> Cap. *Felicitas memoriae, et Ad audientiam, de torneam.*

## VARIA LATINITAS

### Larii lacus descriptio.

(Ex romanensi Manzonii historia: *Sponsi*).

LECTORI BENEVOLO.

Sunt equidem qui putent solutam romanensem fabularum orationem magna ex parte esse tali ingenio atque natura praeditam, quae latine verti, paene dixerim, nequeat. Eos ego in errorem poenitus raptos esse non affirmaverim, sive quod eruditiorum hominum opiniones consideratione dignae sunt, sive quod recentiores milesiarum fabularum scriptores eo plerumque dicendi genere utuntur, quod a latinae linguae ingenio abhorrere, primo statim intuitu, saepius videatur.

Si vero disputationem attentius in utramque partem habuerint, aliter se rem habere fortasse existimabunt: nonne enim, ne alia argumenta adhibeam, cum Apu-

leius, tum Petronius Arbiter romanenses fabulas condiderunt?

Non igitur negaverim latinam linguam viribus atque nervis carere, quibus recentissima quaeque fabularum sententia, et ad amores exprimendos, et ad facta memorabilia enarranda, et ad errores cum vernianos tum salgarianos describendos, innititur. Quod autem ad Manzonium nostrum attinet, unum, sodes, addiderim, eius nempe orationem prima quidem specie novam scribendi rationem redolere, at, re bene perpensa, a latinorum scriptorum ingeniosis parum esse remotam.

Ucumque res se habet, quandoquidem specimina, quae in volgus superioribus annis prodierunt, viri emunctae naris atque actorum diurnorum moderatores<sup>1</sup> perspecta probaverunt, tertium specimen lectori humanissimo, benevolo praebeo, eumque vehementer oro ut, si forte, propter asperrimas rerum difficultates, quibus Larii lacus descriptio mihi proprie vereque redundare videtur, optatam metam minime contigere potui, veniam saltem concedat.

Larii lacus cornu, in meridiem vergens, duobus continuis procurrentium alternisque vicibus recurrentium montanarum arcium iugis, quibus efficiuntur, creberrimi aquarum recessus et sinus, coabitum, ex improvviso in fluminis cursum et adspectum, qua promunturum dextrorsus in altum prominet, amplissima vero surgit ex altera parte collis acclivitas, postremo, paene dixerim, attenuatur. Verum enimvero conspicientium animi ut alternam rerum mutationem considerent commoveri maximopere videntur, quod

<sup>1</sup> V. PETR. DANIEL. HUETII, *Quaest. Aletan.*, lib. III, cap. 18.

<sup>2</sup> Epist. CXXXVIII, nn. IX, X.

<sup>1</sup> Cfr. MAMACHI, op. cit., tom. I, pag. 173.

<sup>2</sup> Nostra hac aetate sunt socialismi nonnulli sectatores, qui specie tenus omni adversantur bello, illudque damnant. Sed ut ipsi sibi reservent ius bellum exercendi in omnes, qui sectare nolunt ipsorum doctrinam, aut contra omnes qui iusti et boni amatores sint.

<sup>1</sup> Subaudi, ut reliquos omittam, Silvium Pelliunum, doctorem, virum eruditissimum, clarum politorum litterarum professorem apud lyceum mutinense.

pontis ibidem, utrique ripae interiecti, beneficio locus patescit, ubi et lacus deficit et Abdua flumen, ut intermissum prioris figurae nomen denuo sumat, ubi aquas diffundi et in novos recessus novosque sinus relaxari recedentes ripae patiuntur, cursum iterat.

Collis acclivus, magnis tribus torrentibus, saxonum cretaeque rapidis, generatus effectusque, medius continuis montibus, quorum alterum divum Martinum, Resessonem langobardice alterum nuncupant, quod complurium in ordinem distributorum cacuminum gratia serrulae est persimilis, decurrit. Mons autem ea est natura, quem omnes, modo adversi constiterint, velut, si exemplo uti volumus, in mediolanensibus moenibus, quae ad septentrio-nes spectant, primo intuitu a ceteris montibus, nomina obscuriora usitatoresque figuras gerentibus, illico internoscant.

Aliquatenus collis acclivitas, leniter quidem et tamen continenter, montium fastigia petit; deinde in arcēs perexis- guasque valles, in loca, prout sunt terga montium, imbrum virtus et natura, vel editiora, vel propatula discinditur. Ima denique pars, torrentium faucibus resecta, glarea lapidibusque horret; cetera, campis vineisque interrupta, pagis, villulis, viciis, nemoribus alicubi, seorsum per montem repentinibus, nitescit.

Leucum, locorum caput, unde nomen regio dicit, frequens nunc cum maxime pagus urbanaeque dignitatis particeps futurus, haud longe a ponte, prope lacus ripam iacet, ipsius quoque undis, cum forte creverunt aquae, adluitur. Quibus temporibus evenerunt quae narraturus sum, iisdem pagus, iampridem non contemnendus, castello firmabatur: igitur et honore hospitii imperatori praebendi affiebatur, et de stabili praesidiariorum militum hispaniensium commodo gaudebat, qui paganas puellas mulieresque ultro pudicitiam edocerent, nonnullorum praec-

terea patrum familias maritorumque dorsa interdum demulcerent, atque, exeunte aestate, vinearum peragrandarum officio, ad uvas rarefaciendas ruricolasque vindemiae curis laboribusque levandos, numquam deessent.

Alterum alteri vico, loca summa ripae, alteram alteri arci itinera semitaeque, ut nunc est, magis minusve ardua vel aequa et plana, duos in muros pedetemptim submersa depressaque, unde oculorum aciem in caelum intendentibus cernere licet particulam caeli et aliquem montis verticem, committebant. Quibus viis, aprica valla identidem percurrentibus, efficitur ut prospiciendorum locorum, qui magis minusve in planitiem patent, et tamen novi excelsique aliquid continuo praebent, prout singulus quisque locus in lati circa prospectus imaginem abit, prout hoc vel illud regionis spatium extenditur, vel in angustum cogitur, exoritur vel in vicem occidit, facultas detur.

Hic tractus, tractus aliis illic, vastus prospectus lati multiplicisque aquarum speculi alibi. Hic lacus, cuius ima pars occluditur, vel, ut aptius dicam, in iuga anfractusque montium, se ante conspicientium oculos singillatim evolventium, evanescit, eorumque imagines aquae inversas cum viculorum ripas adiacientium imaginibus nitide recipiunt; illic se deinceps excipiunt fluminis cornu, deinde lacus, denique renovatum flumen, quod, nitide serpens, postremo etiam inter iuga montium elabitur, quae, dum gradatim ad planitiem redeunt et in finientem ipsa quoque abeunt, lacui comitantur.

Locus ipse, unde diversa illa spectacula contemplamur, spectaculum et ipse usquequa praebet; mons, cuius in radicibus deambulamus, desuper, circumcircum cacuminum, praecipitum, disiunctorum, praecisorum, novas minutatim figuras inducentium, circumactum efficit; multa enim ex uno iugo perspicue evol-

vuntur; quaeque nuperprime acclivia videbantur, nunc in verticibus sita videntur; et quidquid amoeni, quidquid domestici illis in radicibus inest, contrariis rebus iucunde miscetur atque inservit; ceterorumque prospectuum decora et ornamenta magis etiam adaugent.

Senis, Kal. Iun. An. MCMXVII.

Prof. I. B. BELLISSIMA.

## ANNALES

### Europaeum bellum.

Iunius qui exactus est mensis, bellicis actionibus haud notabilis evasit. In Cathalauniis enim campis quamquam acerrime inter Gallos atque Teutones pugnatum est, nihil decretorii contigit; pariterque in Flandria, ubi Angli immobilitatis statum, fere iam annos duos perdurantem, inter Ypres et Messines interrumpere coeperunt. Itali operam suam ita circumscripsere, ut hinc recentes occupationes in Carsica et Iulia regione firmarent, quas ad septem triones et orientem Iamiani oppidi produxerunt; inde hostium munitiones, nive adhuc in Tridentina regione tectas, recognoscerent, divellerent impotesque facerent ad hostilem incursionem fulcierandam; quod praeter Medoacum flumen ab Agnae transitu ad Ortigara montem, et in valle Costeana effectum est; ubi per incendiarium cuniculum «Parvum Luguazuoi» montem cum bellicis munimentis suis everterunt.

Ex adverso, civiles magni momenti eventus facti sunt. Italici enim regni decreto, die v mens. Iunii MCMXVII Albanica gens sui iuris, sub Italorum protectione, praedicata est. Quo quidem actu Itali munus coram socios et hostes sibi fidenter suscepserunt, implexum illum rationum nondum expediendi, quo cum adversis Adriaci

maris gentibus et ipsi vinciuntur, quemque haud dubie negligere aut ab aliis proprio marte solutum videre non poterant. Quo autem tutiores se redderent ab Epirotarum incursōnibus eorum tergis haerentium, Ianinam, Graecam urbem, occuparunt.

At in ipsa Graecia, Ionnart, Galicus legatus, quem nationes Graeciae civitatis tutelam gerentes summum procuratorem suum elegerunt, acris animi vir, audaciora molitus est. Tanta enim vi apud nutantem et parum fidum Constantinum regem contendit, ut brevi ad abdicationem et exilium coegerit. Quum autem princeps regni haeres patrem cum reliqua familia praeter civitatis fines, in Helvetiam, sit sequutus, Alexandro fratri, secundo loco genito, quatuor supra viginti annos nato, rerum summa tradita est; qui Venizelos illum Cretensem ad rei publicae praefecturam revocavit. Notum utique est tenax huius viri eiusque factionis propositum, iam a mense Februario an. MCMXV publice patefactum; ut scilicet Byzantium urbs Graeca tandem redeat. Facile inde coniicere licet quo nova fata trahant, eoque magis quod Russi declaraverint sese illius urbis possessionem eiuraturos.

Cuius quidem populi civiles res densa adhuc caligine obvolvuntur...

Kalendis Iuliis MCMXVII.

POPICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Commentarii nostri Moderator **honestum utique acceptumque munus** hodie mihi demandavit, ut sociis pluribus agerem gratias de verbis benevolentiae dulciumque stimulorum plenis, quorum vox redditā fere est quotidie ad nostras aures, post monitum a nobis superioris Maii mensis fasciculo, invitis licet, inscriptum. Quae quidem incitamenta venusto hoc epigrammate resumi possunt, quod

socius clarissimus Iacobus Tasset, a Iaponico Imperatore Mussu-Hito (ecastor!) mutuatum et latine conversum, nobis, pro summa eius humanitate, dicavit:

*Cum stillis pluviae videas et saxa cavaris  
Curnam difficili deficit officio?  
Vasorum patiens quamvis ferat unda figuris,  
Viribus assumptis, perfodit et scopulos.*

Grates, inquam, omnibus sunt; sociorumque sollicitudo, nostros animos erigens, sit futurae et constantis gratiae testimonium, quae – neque supervacaneum neque petulans iterare videatur – subnotationis pretium diligenter solvendo, novosque in dies comparando socios, re praesertim evincitur.

\* \*

Atvero, si altera manu supremus nostrorum negotiorum minister panem mihi ostentavit, altera lapidem tulit, monens ut membrum sermonem meum ob coactas spatii angustias, iuxta earum fines perstringerem, nisi illum, ut proximis duabus vicibus contigit, amputatum videre mallem. Tantae auctoritatis viro morem haud dubie geram, mecumque erit gesturus Badaicensis notus amicus, qui acquiescat profecto, si, pro consueta ferculorum notula, hodie rationem tantummodo offeram, tempori quidem congruentem, qua **glacies per aestatem** arte fiant. Ex Barclaio eam deprompsi, qui hisce verbis in suo *Argenide* (lib. V) describit:

« Allata sunt variarum formarum ex aere prototypa: orbium, poculorum, paropsidum; omnis denique convivalis instrumenti species erant.... Haec sunt claustra, quae, aquis infusis, glaciem concipiunt. Quippe unumquodque operculo suo sic tegitur, ut orae invicem cohaereant, excepta foraminis angustia, per quam aqua liquitur in interiora; quomodo ex stanno, vel plumbo fusilis supellex conflatitur. Alveolo deinde ligneo illa deponimus, cuius fundum sale primo illo nigro parumque contuso, et mox nive contegitur; quae nobis semper ad manum est, fulta straminibus et in umbra antrorum toto anno inviolata. Supra ipsa deinde prototypa, in alveolum sic demissa, pari modo nix quoque aliquoties cumulatur, sale toties interiecto. Ita haec aqua, illo in aere ad glaciem preparata, accipit un-

dique circumiectae nivis frigus; quam sal acri mixtura vetat liquefcere; in loci praecepue umbrosis, qualia vini aut olei apothecis effodimus. Trium circiter horarum spatio coit aqua... », una – addo – cum liquore, vel ovo rum, aut fragarum, armeniacarum persicarumve malorum, caffae, chocolati et eiusdem generis mulso, quod pro gustato cum aqua ipsa miscueris.

Cave tamen ne nivata haec scitamenta sudore aestuans sorbeas, si bonae valitudini tuae consulere velis!

\* \*

### Locosa.

Tuccius de geographia periculum facit. Magister eum interrogat:

- Quot sunt mundi cardines?
- Tres.
- Oh!
- Sane quidem. Polus Arctous, Australis Polus, et Marcus Polus.

Ad diversorium.

- Hic ergo sermo omnibus linguis habetur?
- Ita est.
- Ac tu, puer, eas loqueris?
- Nec ego, neque comitum meorum quisquam.
- Ecquis igitur?
- Viatores.

\* \*

### Aenigmata

I

Vidi, arsi, flevi, tristemque (heu fatali!) re-  
[pulsam]

Spreta tuli: sum nunc vox, sonus, aura,  
[nihil.]

II

Integra splendescit luxu; sine vertice psallit.  
(Aenigmata in superiore fasciculo propo-  
sita his respondent: 1] Os-iris; 2] Sub jce  
super bi am = Subjce superbiam).

IOSFOR.

# ROMA SACRA

### Acta Benedicti Pp. XV.

*Codex Iuris Canonici  
Benedicti PP. XV auctoritate promulgatus.*

Constitutione Apostolica *Providentissima Mater Ecclesia*, data in festo Pentecostes huius anni MCMXVII, et publici iuris facta in festo Apostolorum Petri et Pauli, Codex Iuris Canonici Pii X Pont. Max. iussu digestus, Benedicti PP. XV auctoritate est promulgatus.

Praemissa Catholicae Fidei Professione, Codex, qui canones 2414 complectitur, in quinque libros distribuitur.

Liber I (can. 1-86) est de normis generalibus, in titulos VI divisis, scilicet de legibus ecclesiasticis, de consuetudine, de temporis suppuratione, de rescriptis, de privilegiis, de dispensationibus.

Liber II (can. 87-725) agit de personis, atque in tres partes distinguitur; quarum de clericis in genere et in specie est prima, altera de religiosis, tertia de laicis eorumque consociationibus.

Liber III (can. 726-1551) de rebus tractat, ac primum de Sacramentis singulis atque de sacramentalibus; deinde de locis et temporibus sacris; praeterea de culto divino, de magisterio ecclesiastico, de beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus, de bonis Ecclesiae temporalibus.

Liber IV (can. 1552-2194), de processibus, trifariam dispergitur: de iudiciis, de causis beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum, de modo procedendi in non nullis expediendis negotiis vel sanctionibus penalibus applicandis.

De iudiciis duplex est ordo, nempe in genere (ubi regulae statuuntur de foro competenti, de variis tribunalium gradibus et speciebus, eorumque disciplina servanda sive in actionibus sive in exceptionibus, itemque de sententiis et earum executione) ac de peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis

servandis, hoc est de modis evitandi iudicium contentiosum, de iudicio criminali, de causis matrimonialibus et contra sacram ordinacionem.

Circa causas beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum, constitutis personis peculiaribus quae in hisce processibus partem habent, uti Actore, Postulatore, Cardinali Relatore, Fidei Promotoribus et Subpromotoribus, etc., ritus singulorum processuum expediuntur sive ordinaria sive apostolica auctoritate conficiendorum, atque tum per viam non cultus, tum casus excepti, seu cultus ab immemorabili tempore praestiti.

Tertia denique pars rationes sancit procedendi in remotione aut translatione parochorum, contra clericos non residentes, etc.

Liber V (can. 2195-2414) est de delictis et poenis. Ibi natura, imputabilitate atque conatu delicti in primis expensis, notio, species, interpretatione atque poenarum applicatio ac remissio statuuntur; deinde vero normae de censuris sive in genere, sive in specie, de poenis vindicativis communibus et peculiaribus clericorum, de remedis penalibus et poenitentia. Ultima libri pars poenas respicit in singula delicta, nimurum: a) contra fidem et unitatem Ecclesiae; b) contra religionem: c) contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas; d) contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores; e) de crimine falsi; f) de delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque Sacramentorum; g) contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi; h) de delictis in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum; i) de abusu potestatis vel officii ecclesiastici.

Codex concluditur documentis octo, inter quae Constitutio Pii PP. X ac Leonis XIII de Conclavi et Sede vacante; et vim obligandi suscipiet a die Pentecostes anni proxime venturi, id est a die XIX mensis Maii MCMXVIII.

# AD PRAETORIUM<sup>7)</sup>

## SCENA XII.

BERENICES CUM ALIIS MULIERIBUS, et DICTAE.<sup>1</sup>

HER. Heic tu?

FUL. Berenices!

BER. Dic Veronicam!

Eram domi fixa magnis angoribus,  
Quod impii fratres Magistrum ceperint,  
Eumque fustibus cruciarint asperis.  
Meis ex aedibus cernebam sanguinem  
Fluentem de plagis, horridis vulneribus...  
Ei non est locus sanus flagitiis...  
Et ipse Pontius commotus voluit  
Adesse eum gerentem coronam spineam,  
Manu ferentem sceptrum arundineum.  
Quid illi sugerit tantum ludibrium?  
Amare flebam videns haec tristia.  
Erat magistri vultus quam miserrimus!  
Dicebat: *Ecce homo! Ecce Homo! Magnūm*  
[silentium.]

Mihi spes populum facturum melius,  
Et illum posse liberare denuo.  
Quis error! Cura et mentem turbabat meam.  
Furor novus pectus pervadit omnium,  
Et impulit contra virum sanctissimum.  
Per aërem voces audiuntur pessimae:  
« Trahatur ad necem! Trahatur ad necem!  
« Mori nam dignus, inimicus Caesaris!  
« Eum si liberas in iram Caesaris  
« Cades repente ». Nutat in primis et cedit ...

FUL. Oh monstrum hominis!

HER. Quis illum solverit?  
BER. Hoc est supremum Solymae flagitium!  
FUL. Ruet Dei tandem super nos punitio!  
BER. Magistri vultum dolui, fortior antea  
Ab aedibus proripui, atque illacrimans  
Ad ipsum curro obrutum crucis pondere,  
Ut pia vultum tergerem de sanguine.  
Ei super vultum posui sudarium,

<sup>1</sup> Berenices caute ingreditur, sed vultu honesto et admiratione suffulta.

Enim cruar totu fluit de corpore.  
Bonus magister in me respexit tener,  
Sinitque maxima tergi modestia.  
Stupor pertransit ossa frigidus mea,  
Tremor percuslit, vidi cum miraculum.  
Enim divinam liquit ipsi imaginem  
Super sudario pictam mirabili.  
Potest quis verbis pectoris laetitiam  
Mei narrare? Posteris rem dicere,  
Donent ut omnem mihi confidentiam?  
Liceat primum vobis Sudarium ponere,  
Mihi quod ipsae testes sitis in posterum?<sup>1</sup>

FUL. Novi quid est Iesus...

BER. Audi sed cetera.  
Crucem gerens, moestae dum nitimur  
Eum solari, quod damnatus fuerit,  
Quod obrutus... dixit: « O filiae Sion,  
« Super me nunquam tristes date lacrimas,  
« Super vos potius, super Ierusalem!  
« Enim manent brevi vos damna plurima  
« Forent beatae tunc dicendae steriles »...  
Dixit et iter est secutus lacrimans.

FUL. Deus nos plectit!

HER. Et nos ferit tenebris

MUL. I. Perii!

MUL. II. Interii! Orbis totus dissolvitur.

FUL. Tuetur illum moriendo potius  
Jesus!

HER. Moritur, dicis?

BER. Pendet nunc de cruce;  
(*Ad proximum numerum.*)

I. B. FRANCESIA.

<sup>1</sup> Extendit Sudarium, in quo mirabiliter videtur depicta Salvatoris imago. Omnes, genu flexo, illam reverenter ac silentes adorant. Incipiunt tenebrae et mulieres saepe queri et tongas in fletum ducent voces.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE.

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS